

*Nov: 1st:*

*L. J. S.*

# PROGRAMM

*XII*

des

## Königlichen Evangelischen Gymnasiums

### zu Gross-Glogau

für das Schuljahr von Ostern 1856 bis Ostern 1857,

mit welchem zu der

### öffentlichen Prüfung aller Classen am 6. April

so wie

### zu der Redeübung am 7. April

im Namen des Lehrer-Collegiums

ehrerbietigst einladet

der Director

**Dr. G. A. Klix.**



#### Inhalt:

- 1) Quaestionum Claudianearum particula. Vom Gymnasial-Lehrer Dr. Paul.
- 2) Schulnachrichten. Vom Director.



R.Y. 625

44

# Quaestionum Claudianearum Particula.

Scripsit Th. G. Paul Dr. Phil.

**L**ibris hisce qui quotannis prodeunt de gymnasii nostri statu et condicione rationem referentes quum proximo anno commentatio de Q. Ennio sit praemissa, oblata ex insperato proludendi provincia non alienum duxi nunc a Cl. Claudiano scribendi materiam repetere et poëtarum Romanorum principi ultimum in hoc genere opponere lumen. Nam reputanti quosnam fructus in colendis bonis artibus extrema imperii Romani aetas protulerit vix mirum cuiquam videbitur, quod communis reipublicae labes superiorum temporum labore quasi exhaustae hominum quoque animos secum traxit et a magnis revocavit cogitationibus: qui tantum aberat, ut cum universis artibus interiore quadam vi compulsi sese adplicarent, tum artem factitarent poëticam ipso Apolline inflati, ut ne arte quidem quod deerat ingenio dignarentur compensare. Eam sibi permiserunt in numeris adornandis negligentiam incuriamque prosodiae. Quo majore plausu excipiendus est is qui quamvis homo peregrinus, tamen laeta animi ubertate instructus et aure praeter aevi sui morem tereti eo admirabiliora profecto praestitit quo „argumento ignobiliori oppressus addit de ingenio quod deest materiae“<sup>1)</sup>: eumque hominem e communi temporis sui infirmitate fortiter eluctatum jure vatis nomine dignum putabimus. Neque tamen haec Claudiani laus qua a nulladum harum literarum aetate fraudatus est id effecit, ut editorem adipisceretur se dignum vitiisque suis abstergendis ab omni parte parem: nisi forte Nicolaum Heinsium excipias qui ut reliquos longe equis praevertat albis multisque vel librorum mss. optimorum et plurimorum ope vel arte critica pristinum restituerit nitorem tamen multo minus quam aliis poëtis, subvenisse nostro putandus est posteritatisque curae majorem vitiorum quam abstulit ipse numerum reliquit amovendorum. Nam Casp. Barthius, ut priores missos faciam, nec de emendando nec enarrando tantum quantum ipse sibi videbatur promeruit; Gesnerus autem ad rerum explicationem imprimis attendens nec ea quam exspectes a viro lexicographo sollertia verborum vim expendit, timidiorque fuit in criticis; Bipontina denique editio Gesnerianam plane refert cum ipsis erroribus typographicis prope omnibus; et si quando ab illius lectione recedit, deterius quid illatum esse pro certo habeas. Quo fit, ut campus satis amplius pateat emendandis Claudiani poëmatis: in quo pro nostra parte decurrere animum induximus.

---

1) Verba sunt Jul. Caes. Scaligeri ex Poetics lib. VI.

Ac primum quam male habitus sit noster propositis quibusdam locis varia depravationis genera perppersis evincam, ne graviora quae deinceps aggrediemur mirationem faciant.

Incipimus autem a levissimis. cuius generis occurrit locus in libro de Stiliconis consulatu (ita enim carmen recte inscribi infra demonstrabimus) secundo. Ibi postquam poëta uberius exposuit Clementiam non modo sedes suas in Stiliconis pectore collocasse, sed etiam saluberri- morum praceptorum magistram omniumque consiliorum gubernatricem ei extare, haec sub- nectit v. 30:

Huic divac germana Fides, eademque sorori,  
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis  
Inserit.

Ita distinguunt editiones et Heinsiana et Gesneriana eo scilicet consilio, ne cui vocabulum „eadem“ ad aliud quid quam ad Fidem videatur esse referendum; Gesnerus vero diserte „Huic divae“, inquit, „Clementiae germana soror est Fides Dea, quin eadem est sorori huic suae: quatenus virtus est una, ut qui unam habeat, omnes habeat.“ Ego vero, licet omnium virtutum communem esse fontem et originem concedam omnesque intimo inter se vinculo contineri, — sicut Socrates et Plato certe in prioribus scriptis et Stoicorum partim unam duntaxat virtutem ponunt — nego tamen potuisse fieri, ut Claudianus Fidem quam modo Clementiae sororem esse voluisse et vestigio appellaret eandem Clementiac. Alias enim partes sustinere Fidem, alias Clementiam ad exornandos Stiliconis mores universo loco docemur. Sed quid multa! Sublata virgula opus est, ut genuina sententia reficiatur; nam „eademque delubra“ conjunctim intelligenda esse facile appetit. Ita vero licebat poëtae scribere sine ullo probro. Sieut enim numina sive propinquitatis causa sive propter partium et officiorum similitudinem corundem templorum honore fruuntur — in quo Capitolii et templi Honoris-Virtutis<sup>2)</sup> satis habeo commemorasse —, ita Fides easdem cum sorore sedes in animo Stiliconis exstructas e Claudiani sententia tenet.

V. 497. carminis quartum Honorii consulatum celebrantis  
non hasta refixas

Vendit opes: avida sector non voce citatur —

quid sint „opes refixa“ equidem satis assequi non potui; neque magis mihi satisfaciunt quae Barthio placuerunt quam quae profert Gesnerus ne sibi quidem, ut videtur, satis probatus. Sed quum Servius ad Virgil. Georg. IV, 202. contra recentiores editores lectionem „refigunt“ vindicet — num recte hoc loco non attinet quaerere —, ut sit pro simplici „figere,“ vocula „re“ praefixa significationem verbi non immutante, sed amplificante, quod idem animadvertisimus in hisce: reformido renideo reluceo redoleo — non video cur non idem hoc loco obtinere statuamus. Quodsi scribimus „hasta refixa“ habemus, de quo plura addere non opus sit.

Versu 353. lib. II. carminis de Raptu Proserpinæ

— ederisque virenem

Cocytion dulci perhibent nudasse Lyaeo —

quod legitur in editionibus Gesneriana et Bipontina „nudasse“ fluxit aperte e vitio typographicō. Heinsius quidem praebet „undasse,“ optime ad sensum: sed reputanti mihi Cocytum induci personatum, plane ut Phlegethon ejusdem carminis v. 315. — verba enim „ederisque viren-

2) Cic. pro Sest. LIV, 116.

tem adducunt nos, ut de flumine illo inferno cogitemus tanquam potatore coronato — praestare mihi videtur „nutasse“.

Qualis exhibetur Idyllii primi v. 29. in omnibus editionibus, ne Heinsiana quidem et Burmanniana excepta

Quas tulit auctumnus, dederit cultoribus umbras

talis ab ipso Claudiano profectus esse nequit. Quis enim umbras auctumno peculiares esse vel fando audivit? Vel hoc concessu cur cultoribus dantur umbrae? — Quibus in angustiis conjectura „uvas“ vel invitatis sese nobis ingerit. Et sane quod omnium judicio optimum gratissimumque est auctumni munus — vindemiam dico — idem huic anni temporis diserte a Claudiano tribuitur ut proprium carm. in Cons. Prob. et Olybr. v. 274:

— auctumnusque madentibus ambiat uvis.

In quo non minus optimi eiusque poetae auctoritatem secutus est quam ipsam naturam et verum.

Luxuriae descriptionem quum carm. de Cons. Stil. lib. II. vv. 135 — 137. poeta ad finem perducit hisce versibus

Blanda quidem vultus, sed qua non tetrica ulla

Interius fucata genas et amicta dolosis

Illecebris torvos auro circumlinuit hydros —

comparationem institui nullo negotio intelligitur; quo cum componatur luxuria, non aequa patet. Sed considerantibus nobis cum aliorum librorum tum antiquissimi Lucensis lectionem „ultrices“, quam recepit Heinsius, vix dubium erit quin cum Furia conferre illud vitium noster voluerit. At ne tum quidem pro sano habendus esset locus, licet eidem Heinsio adsentiremus „tetrica“ in „tetricus“ mutant. Substantivo enim ad vocem „ulla“ pertinenti carere prorsus non possumus ad sententiae perspicuitatem. An vero Gesnerum audiemus qui, ne ad conjecturam egeretur recurrere, satis expeditivis omnia sibi visus est hac adnotatione: „Ultrices genae ita designant Furiam, ut solum nomen „ulla“ sustinere reliqua praedicata possit“. Statuit igitur Claudianum a consueto scribendi genere recessisse adeo, ut sententiam „ulla ultrices genas fucata est genas“ nimis contorte et obscure ita exprimeret: „ulla ultrices genas fucata est.“ Quod feren- dum esset fortasse, si in prioribus Furiae mentionem injecisset. Sed fac Gesneri explicationem a sermone nihil affingere poetae insolentiae: tamen relinqu confido quo confutetur. Jam enim haec procederet sententia: „Blanda quidem est in speciem luxuria, sed non minus tetrica quam ipsa Furia genas fucat, inaurat angues pro caesarie caput obsidentes“. Utinam vero placuissest Gesnero vel unum exemplum afferre talem habitum usitatum fuisse Furiis comprobans! — Imo aut fallor aut plane aliud poeta sibi voluit: blandam quidem videri luxuriem, sed revera tetricorem esse vel Furia; nam mala arte, non natura hanc formae venustatem esse comparatam ad inducendos et deleniendos spectantium oculos. Quam sententiam quum locus sibi poscat necessario, id agendum est, ne „ulla“ suo substantivo careat neve illa „fucata genas“ sq. simul referri ad Furiam possint. Quae quidem levissima immutatione facta consequimur:

Blanda quidem vultus, sed qua non tetrica ulla

Ultrix est: fucata genas et amicta dolosis

Illecebris torvos auro circumlinuit hydros.

Ultricem autem simpliciter dixit Claudianus sicut Epist. I, 14: usurpavit „ultrices Furias“, „ultrices deas“ et similia alii saepissime.

Jam vero ad aliud vitii genus transeamus oportet, positum quidem illud non tam in unius alteriusve vocis depravatione quam totorum versuum. Quod in ejusdem libri carmine primo deprehendisse me puto. Ibi postquam bellicas Stiliconis laudes poëta attigit, miri in iis inesse prorsus nihil ait, quoniam praeclarus ille dux sine bello, sola nominis sui auctoritate eo adduxerit Francos et Suevos Romano nomini infensissimos, ut tanquam proelio vieti ad gravissimas condiciones descenderint Romanorumque jam ultiro dominationem ferant. Deinde sic pergit v. 192 sq.:

Cedant, Druse, tui, cedant, Trajane, labores.  
 Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,  
 Transcurrens egit Stilico, totidemque diebus  
 Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis. 195.  
 Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus  
 Impiger a primo descendens fluminis ortu  
 Ad bifidos tractus et juncta paludibus ora  
 Fulmineum perstrinxit iter.

Ita consentientes inter se Barthius Heinsius Gesnerus et legunt et distinguunt, nisi quod Heinsio „praestrinxit“ placuit. Qui quomodo locum potuerint intelligere ne suspiciati quidem de mendo ego non assequor, quum enunciatum relativum ad quod e prioribus „edomuistis“ debet subaudiri cum insequentibus „descendens“ et „perstrinxit“ nullo modo possit conciliari. Difficultatem et perspectam habuit et perrupisse collocata post „solus“ plena distinctione Burmannus visus est Barthii adnotatione, si recte intelligo, suadente. Verum qui satis perpenderit quantum Claudianus a concisa brevitate fuerit alienus — praefracte mecum negabit poëtam, cuius animo obversaretur haec sententia: „solus Stilico edomuit Rhenum quem vos edomuistis ferro, alloquiis, cum milite“ separatam enunciationem finxisse hanc:

Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus —  
 in quo tantam brevitatem, ne dicam obscuritatem affectasset, ut literula vel una sublata tota perverteretur sententia. Sed Burmannus, quo majores loco tenebras offunderet, „alloquiis“ putavit ad Stiliconem pertinere. Scilicet cavendum id erat poëtae, ne quis conjiceret Stiliconem, quum milite nullo stipatus hostes adiret ferocissimos, spretis condicionibus quamvis solum desticto gladio in imminentem adversariorum aciem irruisse! Quasi vero unica vox „solus“ non satis indicet per se quo nomine ab aliis ducibus discrepuerit Stilico! — Attamen Burmannus, dummodo suo judicio voluisse plus tribuere, poterat sane principali hujus loci vitio certum remedium afferre: nam „Forsitan“, inquit, „transpositis versibus rotundior exiret sententia:

— totidemque diebus

Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus  
 Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis.“

Ego vero ita mutandum esse pro certo habeo, non quo rotundior efficiatur sententia, sed ut manifestior evadat omninoque Claudiani similior. Neque vero ab hoc loco possum discedere, quin de uno praeterea disseram. „Alloquiis“ enim quum non nisi per vim ad Stiliconem referri queat eoque facile supersedeamus, dum vocis „solus“ notio et vis recte intelligatur, vitium sub-

esse suspicor. Desideratur autem vox quae ad Drusum Trajanumque pertineat et cum proximis „ferro“ et „milite“ apte cohaereat: unde non dubitamus quin „laqueis“ a poëta sit profectum. Hanc igitur speciem restitutus locus p̄ae fert:

Vesta manus dubio quidquid discriminē gessit,  
Transcurrens egit Stilico, totidemque diebus  
Quem ferro, laqueis, quem vos cum milite, solus  
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis. —

Theodosius imperator inducit filium, ne nobili genere inflatus virtutem sectari desimat, monens ad hunc modum carminis de IV. Cons. Honor. v. 220:

— Virtute decet, non sanguine niti:

Major et utilior fato conjuncta potenti,  
Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris  
Proderit obscuro? Veluti sine remige puppis,  
Vel lyra, quae reticet, vel qui non tenditur arcus.  
Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante  
Semet et incertos animi pacaverit aestus  
Inveniet. Longis illuc ambagibus itur.

Disce orbi, quod quisque sibi.

225.

Quo loco „fato“ pro „facto“ recte reposuit Heinsius et librorum longe plurimorum auctoritate et ipsa sententia commotus. Nam si Honorium voluisse ad magnas res gerendas pater inflammare quibus ostenderetur et eluceret virtus animo concepta, aliter debebat loqui offenderetque maxime illud „conuncta“; praeterea autem de virtute in universum oritur sermo, differentia quae inter virtutem actuosam et quietam occultamque obtinet plane omissa; denique „potenti“ neque a sermone nec a sententia habet quo commendetur. Contra ex Heinsii lectione significationem elicimus cum per se probabilem tum loco aptissimam: sublimem quidem virtutis esse vim et naturam; sed hoc magis cerni ejus utilitatem, si accidente nobilitate et potentia ad multos redundet homines. Ideo quum lectionem „facto“ non sine justa causa rejicimus, simul vel invitis nobis judicium de proximis versibus tribus fit; qui sicut a priori sententia plane discedunt, ita unice fulciuntur et defenduntur falso illo vocabulo. Neque enim eos quisquam arreptis quae leguntur in carminis de Consulatu Stilonis lib. II. v. 121. „non obruta virtus Paupertate latet“ audebit tutari. Quos versus aut plane fallor aut sciolus nescio quis vitiosa illa lectione inductus de suo adjecit. Etenim quum existimaret Claudianum Aristotelis vestigia premere τας ιθιτας αρετας et usu parari et εξεις esse in libris moralibus persuadentis 3), ea quae verbis „potenti facto“ indicasse opinaretur poëtam illustrare constituit exemplis additis tribus: quod vel solum impostorem poterat prodere. — Sed ne nunc quidem locum ab omni parte sanum habere ausim. Ut enim v. 222. est collocatus, orationis filum turbat potius quam sublevat. Nam si quid video, singula, quo melius fueret disputatio, ita erant connectenda: „continetur rerum summa non claro genere, sed virtute, quae nec cuivis nec sine labore parabilis est.“ Deinde autem, quo magis commendaret filio virtutis studium, a quo rei difficultas poterat absterre, stimuli instar addit haec: pulchram quidem esse virtutem, sed eo pulchriorem, quo magis

3) Vide potissimum quae Eth. Nicom. lib. II. cap. 4. disputantur.

adjuvetur rebus externis et potentia: ideoque Honorio eam esse perdiscendam, quo melius rerum potitus et in summo loco constitutus toti orbi consuleret. Hinc v. 225. pertinere ad v. 220., v. 221. cum v. 228. conjungi aequum est. Id me recte disputavisse eo magis confido, quod non aliter Lucensis codex et veterimus Gyraldi versus disponunt. Locum igitur, quamvis breviorem, tamen emendatiorem exhibebimus sic:

— Virtute decet, non sanguine niti:

220.

Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante  
Semet, et incertos animi pacaverit aestus,  
Inveniet. Longis illuc ambagibus itur.  
Major et utilior fato conjuncta potenti:  
Disce orbi, quod quisque sibi. —

225.

Protuli autem haec exempla, ut qualis sit textus quem dicunt Claudianei condicio patet. Utinam autem ne alia exstarent genera depravationis quam noster subiit! — At vero sicut plus unum carmen truncatum ad nos pervenit, ita in ipsis carminibus apparent lacunae quae fugerunt editorum sagacitatem. Videas enim mihi quaeso lib. in Eutropium II. v. 339: ubi quali fuerint ingenio quibusque moribus Eutropii sodales ad bellum deliberandum accersiti non sine acerba irrisione exponitur. Qui locus non quo fuerint animo certis quibusdam temporibus, sed qualem semper gesserint, exponit: id quod verba „sueti“ „periti“ satis ostendunt. Non apte igitur cum his conjuguntur quae in nostris editionibus praecedunt:

Si Chunnus feriat, si Sarmata portas —;

sed potius poëtam, qua erat in istos ira incensus, pro certo habeo commemoravisse clandestina cum hostibus colloquia coniurationesque ad evertendam patriam factas, quo magis vilem istam plebeculam communi propinaret despectui. Quae quum nescio quo fato interciderint, malo errore quibus nihil intercedit necessitudinis conglutinata sunt, ut nunc feruntur <sup>4)</sup>.

Hisce promulsidis instar praemissis, quibus vitii plus unum genus nostrum concepisse fidem facerem, licet jam nobis ad ea transire quae principale hujus commentationis argumentum continere volui; neque si in hac disputationis parte relevabo depravationis genus quo gravius subiisse Claudio*n* poëmata nego, verendum mihi est, ne iratos mihi habeam eos, quibus praecedentia probavi.

Sed priusquam ad propositum ipsum accedam, res postulat, ut belli quod aa. 402. 403. gesserunt Visigothi cum Romanis casus enarrem quam fieri potest brevissime. Miro autem fato accidit, ut in summa penuria auctorum uberius hoc bellum tractantum pro unico prope fonte ipse sit Claudio*n* habendus <sup>5)</sup>. Neque enim multum adminiculi suppeditant quamvis illorum

4) Rursus autem cavendum est, ne quis lacunam ubi re vera nulla est sibi videatur odorari. Id enim vitium obtinere carm. de VI. Cons. Honor. v. 493. haud scio an quis suspexerit eo ductus argumento, quod Romae deae ab Honorio discedentis diserte mentio non fiat. Cujus discussus eadem plane ratione retinetur ac carm. de Cons. Stilic. II. 408. vel carm. in Prob. et Olybr. Cons. v. 173: et sicut hic vox „dixerat“, ita illo loco „dixit“ subitario transitu res infert plane novas atque a praecedentibus diversas.

5) Quamquam qui Barthii adnotationes ad carmen de Bello Getico legerit de hac inopia plane celatur. Ita enim iste ad Zosimum maxime provocat, quasi ab hoc scriptore totum bellum exponatur latissime. In quo aut sciens, ut saepe, aut ipse deceptus fallere nos studet: etenim, ut unum afferam, quod dicit ad v. 267. „sane victis Gothis coronatum rediisse Stiliconem (ita enim capienda ejus verba) scribit Zosimus

temporum aequales Prudentius et Paulus Orosius, quorum quidem uterque unum proclivum ad Pollentiam commissum memorat, reliqua belli eventa omittit <sup>6)</sup>. Taceo chronica Cassiodorii et Prosperi Aquitani in ejusdem rei memoria subsistentium. Jornandes autem, cuius in plerisque narrationem Paulus Diaconus amplexus videtur, quum additamenta ad Eutropii libellum conficeret, omnia confusisse et perperam exposuisse putandus est temporum nulla ratione habita. Itaque quo magis destituti sumus fontium subsidio, eo diligentius curemus oportet, ut Claudianum recte interpretemur: cuius quam non sit spernenda fides, si omiseris in quibus licebat ei ut poëtae liberius grassari et paullulum recedere a vero, de carminibus contra Rufinum et Eutropium elegantissime demonstravit Gibbonius, doctus ille Anglus. Illi igitur si credimus, Alaricus hiberno a. 402. tempore sedibus in Illyrico relictis Romanos ad Timavum flumen superavit Alpiumque angustias per vim sibi patefecit <sup>7)</sup>. Dum autem in Italiam descendit et urbes munitissimas expugnat <sup>8)</sup> tantoque sui terrore etiam longinquas regiones implet, ut urbis Romae muri reficerentur <sup>9)</sup>, Stilico brevissimo itinere Rhaetiam petiit <sup>10)</sup>, ubi tunc coorto bello magna Romanarum copiarum pars morabatur <sup>11)</sup>, et exercitum collecturus quem barbaris objiceret et illius tractus gentes dubias animo confirmaturus. Interim in itinere tam prope accesserat Alaricus ad Honorii sedem, ut in obsidionis periculum ipsum imperatorem videretur adducturus esse. Neque enim dubito, quin quae Bell. Get. v. 361. commemorantur, pertineant ad eandem rem quam divae Romae uberior exponit Honorius carminis de VI. Cons. Honor. v. 440 sq. An vero, si fuisse diversa, Claudianum silentio praeteriturum neque ullam inde aut Stiliconis aut generi de more praedicandi materiam repetiturum fuisse censemus! — Hoc autem loco quum obsidionem minatum esse Alaricum (v. 446.) diserte doceamur — id quod optime consentit cum Bell. Get. v. 450 sq. — facile cognoscitur Stiliconem Bell. Get. v. 561. id quod fieri probabile esset posuisse tanquam re vera factum. Sed ubi tum temporis degerit Honorius viri docti ambigunt. Claverius quidem in dedicatione ad Delphimum <sup>12)</sup> Stiliconem „Florentiam gravi Getarum obsidione liberasse“ miro sane errore statuit; Barthius de Ravenna cogitat v. carminis de VI. Cons. Honor. 494. deceptus <sup>13)</sup>; denique Gibbonius sequente Niebuhrio <sup>14)</sup> Honorium Astam configuisse ibique ab Alarico in extremum periculum deductum esse vult. Quo in discrimine, absque Claudiano esset, amplissimus conjecturis pateret campus:

---

cum toto exercitu“ — alludit opinor ad lib. V. c. 29: ubi primum non de Alarico agitur, sed de Radagaiso victo; tum quam falsus sit qui illa μετά τοῦ σργανωπέδου παρὰ πάντων ὡς εὐπειν οὐεραροί μενος ἐπανῆσε secundum Barthium velit interpretari nemo non videt. Idem autem saepius etiam Zosimum laudat ubi ne inveni quidem quae per errorem posset ad Claudianum referre. Imo vero Zosimus quantum absit ut hanc primam Alarici impressionem describat quaeque hujus omissionis intercedat causa optime expositum est a Reitemeiero pp. 402. 412. ed. Bonn.

6) Oros. Historr. lib. V, c. 37 init.; Prudent. c. Symm. II, 659 sq.

7) Bell. Get. v. 562; de VI. Cons. Honor. v. 342.

8) Bell. Get. v. 213. sq.; de VI. Cons. Honor. v. 270.

9) De VI. Cons. Honor. v. 531.

10) Bell. Get. v. 319. sq.

11) Bell. Get. v. 279. 280.

12) p. 9. de Burmann.

13) V. ejus not. ad carm. de VI. Cons. Honor. v. 440.

14) In libro „Vorlesungen über Römische Geschichte“ tom. III. p. 329.

sed ex hoc ipso verum colligimus. Stiliconem enim ex Rhaetia parva cum manu reducem quominus ad Honorium perveniat hostium furori objectum Addua flumen impedit solum, quippe cuius ripam Getae occupavissent<sup>15)</sup>; is autem audacissimo facinore viam sibi per medios hostes ad generum patefecit<sup>16)</sup>. Haec enucleent mihi, quibus Astae principem consedisse certum est. Quomodo enim Addua Stiliconem a proposito itinere potuit intercludere? Aut qua fini Getae Adduam tenebant a sinistra parte in Padum influentem? Scilicet Honorius, cui insidias parabant, urbem incolebat a dextra ejus fluminis ripa haud exiguo intervallo distantem! Denique scire velim quo pacto Stilico, postquam Adduam transmisit et media hostium agmina percurrit, parvulo tempore interjecto ad generum potuerit pervenire. Imo vero his ipsis causis satis superque efficitur Mediolani tum fuisse Honorii sedem. Etenim hac lege recte Getae castra ponebant propter Adduam et est quod illo flumine Stilico interseptus fuisse dicatur. Quae sententia commendatur alio etiam argumento. Stiliconem enim, quum belli initio clam in Rhaetiam contenderet, nonne brevissimo itinere cum propter periculi magnitudinem tum propinquitatem usum esse putabimus? At teste Claudio „parva puppe Larium praetervolat“<sup>17)</sup> medium inter Rhaetiam et Mediolanum; unde novum nostrae opinioni adminiculum idque haud leve additur. Mediolanum igitur ea est „urbs“ quam in oratione innuit Stilico<sup>18)</sup>: quo quum jam pridem imperii sedem a Roma translatam esse sciamus, non male id nomen videtur usurpatum<sup>19)</sup>.

Explicationi meae hoc unum<sup>20)</sup> objici posse video, quod urbs ubi princeps obsessus tenebatur verbis „Ligurum trepidi muri“ denotatur<sup>21)</sup>. Verum recte illis temporibus quibus omnino priscorum nominum vis dudum evanuerat adeo, ut Liguria quidem universam prope Galliam cisalpinam tum complecteretur — unde etiam Ravenna Liguriae diserte adnumeratur carm. de VI. Cons. Honor. v. 363 — non solum hoc ipso loeo Mediolanum licebat appellare Liguriae oppidum, sed idem factum esse carminis de Fl. Mallii Theodori cons. v. 124. pro certo obstinatoque habeo. Valeat igitur Asta Honorii refugium, cuius ne meminit quidem de obsidionis periculo agens poëta; simpliciterque nos scire negemus quam laudem „moenia

15) De VI. Cons. Honor. v. 456. sq.

16) De VI. Cons. Honor. v. 466 sq.

17) Bell. Get. v. 320. 321.

18) Bell. Get. v. 299.

19) Mediolanum primus quod meminerim regni sedem delegit Valentinianus. Ammian. Marcellin. XXVI, 5: „Et post haec quum ambo fratres Sirmium introissent, diviso palatio, ut potiori decuerat, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit.“ Theodosium ibidem multum temporis transegisse testis est Georgius Cedrenus I, p. 573. ed. Bonn.; et mortuum esse memorant idem cum Orosio VII, 35 fin., Jo. Malala p. 348. ed. Bonn., Zonara tom. III. p. 31. fin. ed. Basil. 1557; de quo uberius Socrates Histor. eccles. V, 16. fin. ed. Rob. Stephanus. Atque Honorium imperium iniisse Mediolani ibique, certe dum vixit Claudianus, maximam partem habitavisse ut multi Symmachii loci comprobant, ita ipse poëta testatur. Velut in ea urbe quartum fasces sumposcit: id quod ex carminis de IV. Cons. Honor. vv. 565 — 570. colligimus. Neque ibi — si tamen Symm. Epist. V, 5. recte intelligo — alia de causa Mallius Theodorus consulatum init, quam quod adfuit princeps. Quae quum ita se habeant, non audiems Malalam et Cedrenum; quorum alter I, p. 573. Honorium patre mortuo Ravennae, alter p. 348. fin. Romae domicilium habuisse scribunt.

20) Nam „migrantis aulae fugam“ (Bell. Get. v. 315) nemo, collatis praesertim v. 296 sq., infitahitur de conatu quod ajunt esse intelligendum.

21) De VI. Cons. Honor. v. 443.

vindicis Astae<sup>22)</sup> Romano nomini addiderint. Hoc certe satius erit quam incertas conjecturas venari.

Sed unde egressus eram eo redeo. Alaricus igitur, sive spe capiendi imperatoris dejectus, sive etiam, quod timori Honorii tantum quantum cupiebat extorserat (teste enim Paulo Diacono histor. misc. XIII, 26. „Honorus deliberato consilio Gallias eisdem concessit“), Pado transmisso iter continuabat tanquam in Galliam impressionem facturus; nec jam multum a sinu Ligustico aberat<sup>23)</sup>, quum ex inopinato gravis rerum mutatio oritur. Nam Stilico — utrum turpes pacis condiciones pertaesus, an quod tum demum exercitus tanto hosti par convenisse videretur, propter auctorum silentium ambigitur — hostes, si Jornandi et Paulo Diacono fidem habemus, securos neque mali quidquam suspicantes ad Pollentiam urbem ipso die paschali a. 405.<sup>24)</sup> dolose oppresxit et devicit<sup>25)</sup>. Neque vero ad internectionem Getas redactos esse vel hinc efficitur, quod Stilico pactionibus eos obstringere quam redintegrato proelio ad desperationem adigere satius duxit<sup>26)</sup>: id quod in hoste fuso et fugato fieri non solet. Itaque inter eos certo scimus convenisse, ut Alaricus trans Padum rediret cum exercitu<sup>27)</sup>; reliquas condiciones in quibus procul dubio fuit, ut Italia omnino excederet, ignoramus. Sed qua fuit perfidia barbarus ruptis conditionibus pacis<sup>28)</sup> denuo belli fortunam tentavit ad Veronam<sup>29)</sup> pari eventu. Ipse enim cum exiguis exercitus reliquiis in fuga praesidium sibi posuit; tandemque in Rhaetiam et Galliam frustra perfringere conatus<sup>30)</sup> eo processit angustiarum, ut in monte quodam Alpino omnium rerum inopia laborans a Stilicone obsessus teneretur<sup>31)</sup>. Sed hinc sive per dolum sive (quod magis crediderim) ipso Stilicone connivente<sup>32)</sup> se proripuit et in Illyricum unde erat profectus turpi fuga revertit. Id quamvis apud Claudianum non inveniatur — desinit enim praeter ex-

22) De VI. Cons. Honor. v. 203.

23) Bell. Get. v. 217 sq.

24) Pugnam anno p. Chr. 402. Cassiodorius et Prosper Aquitanus praepostere tribuunt.

25) Victores evasisse Romanos Claudianus Symmachus Orosius qui totum bellum ipsi viderunt consentientes perhibent; reliqui in diversas abeunt partes. Prosper quidem „utriusque partis clade pugnatum esse“ refert; contra Cassiodorius et Jornandes de rebb. Gett. c. 30. et Paulus l.l. Getas superiores discessisse volunt. Quos omnes opinor Orosius in errorem induxit l. l. haec scribens: „cedentique hosti ut pugnaret extortum est; quum quidem ostendente in brevi judicio Dei et quid favor ejus posset et quid ultio exigere, pugnantes vicimus, victores victi sumus“; ea enim falso ad proelium Pollentinum, non, ut parerat, ad captam et direptam ab Alarico paucis post annis Romam retulerunt. Jornandes et Paulus quum praeterea has res pugnam Pollentinam nullo temporis discrimine exceperit statuant, eo facilius falsum amplexi sunt pro vero.

26) Quae sequuntur legimus apud solum Claudianum.

27) De VI. Cons. Honor. vv. 302. 303; 128. 129.

28) De VI. Cons. Honor. vv. 204. 206. 210. 214.

29) De VI. Cons. Honor. vv. 201 — 226.

30) De VI. Cons. Honor. vv. 230 — 232.

31) De VI. Cons. Honor. v. 238 sq.

32) Is enim Alarici ope ad imperii orientalis perniciem uti voluit. Zosimus V, 26: (*Ἀλάριχος*) τὸ παρὰ Στελλήρως αὐθέντη συνθῆμα τοιόγδε πω. οὐ τοὺς τὴν Ἀρκαδίον βασιλεῖαν οἰκογομουντας ὅρων οἱ Στελλήρως πρὸς αὐτὸν ἔχοντες διεροῦστο, κοινωνὸν χρησάμενος Ἀλαρίχω, τῇ Ὄνωροιν βασιλεῖᾳ τὰ ἐν Ἰλλυροῖς ἔθνη παντα προσθεῖται. ουνθῆκας τε περὶ τούτου πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος εἰς ἔργον ἄγειν ὃποι οὐδέπω τὴν ἐπιχειρήσιν προξεδοκα

spectationem narratione non exacta —, tamen inde conjicimus, quod ibi a. 405. eum consedisse Zosimus l. l. memorat et ex eadem regione postea in Italianam denuo irrupisse constat.

Ceterum totum bellum non magno temporis spatio circumscribitur. Nam quum brumali a. 402. tempore in Italianam invasisset Alaricus, proximo anno ineunte aestate pax reparata est Ita enim diserte Claudianus Bell. Get. v. 171 sq. :

Hic celer effecit, bruma ne longior una  
Esset hiems rerum, primis sed mensibus aetas  
Temperiem coelo pariter belloque referret —,

quibus versibus fides accedit primum eo, quod Veronensem pugnam aestivo commissam esse tempore licet colligere ex v. carm. de VI. Cons. Honor. 215; tum quod ejusdem temporis vapore Getarum inclusorum miserias cepisse incrementa legimus ibid. v. 241. Ea autem obsidione finem re vera bello esse impositum supra demonstravi.

Atque has res sicut etiam temporum ordine arctissime inter se junguntur, ita conjunctim a poëta enarrata esse nemo non exspectet. Quod secus factum videmus. Neque enim, si editores sequimur, continua narratione singula exposuit, sed locis compluribus disjicit partes: quum quod nunc inscribitur carmen de Bello Getico belli fata complectatur usque ad proelium Pollentinum idque ipsum; quae restant, et redditus fugae similis illa pugna effectus et reliqua certamina, inveniuntur in eo carmine quo sextum Honorio consulatum Claudianus gratulatur a v. 127. usque ad v. 330. Quam partem cur illo loco instituerit tractare frustra quaerimus. Neque enim tempore interjecto ita in duas partes discedit bellum ne unius quidem anni spatio inclusum, ut jure pro duplice possit haberi; neque id cum Honorii consulatu conjungi temporis ratio patitur, siquidem ab a. 404. exordio pugnam Pollentinam novem mensium, totius finem sex minimum mensium intervallo dirimi ostendimus. Neque vero tam obesae naris fuit Claudianus quin id ipse satis perspiceret: imo vero sicut non potuit, ita ne voluit quidem belli extremum eo quo nunc legitur loco referre. Nam versibus proxime praecedentibus ubi magnum Theodosium beatum praedicavit, quod suis laudibus victo Gildone prostratisque Getis novam filius gloriam addiderit, ita pergit v. 122:

Sed mihi jam pridem captum Parnasia Maurum  
Pieriis egit fidibus chelys. Arma Getarum  
Nuper apud sacerum plectro celebrata recenti.

Gildonicum bellum igitur et Geticum quamvis se jam carminibus prosecutum esse ideoque repetere nolle indicet: tamen nostrum duobus interpositis versiculis argumentum nuperrime<sup>33)</sup> tractatum denuo aggressum esse de audientium fastidio securum promissique immemorem quis crediderit? — Vel, si fuit Claudianus praeter humanum modum obliviousus, cur non item Gildonici belli injecit in subsequentibus memoriam? — Licebat fortasse poëtae bellum Geticum attingere: sed tum denique vacaret culpa, si totum paucis comprehensum subjecisset lectorum animis, non, ut fecit, plus quam ducentis versibus persecutus esset particulam eique partem carminis tertiam insumpsisset. Attamen versum 126:

Grataque patratis exordia sumere bellis  
sive ita interpretabimur, ut a bellorum exitu incepturum se noster polliceatur, sive, quod multo

33) Ita enim statuere cogimur carm. de VI. Cons. Honor. v. 124. („nuper“ „recenti“).

praestat, ut se gratum et hilarum carmen propter remotos belli terrores compositurum esse innuat, id saltem efficere pro certo habeo omnino a bellis canendis ipsum tum abhorruisse.

Qui Claudiani ingenium cognitum habet non dubitabit, quin „totum ponere“ probe calluerit. Ita enim eujusvis carminis partes non solum certo proposito inserviunt eodemque tendunt, sed etiam inter se aptissime conjuncta inveniuntur. Cadit ea laus, ut cetera taceam, in carmina de III. et IV. Consulatu Honorii tanta arte composita, ut prope unusquisque versus Honorium respiciat; atque in hoc quamvis inducantur principis pater et avus et clades attingantur tam gentibus Rhenum accolentibus quam Alarico in Graecia a Stilicone illatae, tamen abest tantum, ut summam carminis poëta unquam obliscatur, ut quo quaeque consilio posuerit neminem fugiat. Breviter dicam quod sentio: ita omnia carmina comparata sunt, ut ne minima quidem particula langueat et abhorreat a totius consilio. His praemissis jam scire velim qua ratione poëta quem tamen a bellis celebrandis alienum fuisse vidimus potuerit alteram belli partem ita exponere ut fecit. Ea enim est carminis laudatorii natura, ut omnia detorqueantur ad ratum consilium, hoc est hominis alicujus vel rei laudem; eamque solam ubique spectat. Contra epicum carmen rerum vim et ordinem sequitur: quo fit, ut alius orationis tenor deceat poëtam historias narrantem, alias praeconia tribuentem. Verum illi carm. de VI. Cons. Honor. versus in quibus versatur disputatio res exponunt, non hominem praedicant: nec magis a loco quo feruntur argumento discrepant quam forma. Quid quod per versus illos plus quam ducentos numero ne semel quidem ejus nomen profertur eujus laudibus totum carmen destinatum esse scimus! — Quanto melius aliis locis suo negotio Claudianus perfungitur! Neque enim tam sancte rerum fidem servavit, quin in carminibus Honorio dedicatis huic ipsi laudem serio vindicaret rerum a Stilicone gestarum, quippe eujus jussu et auctoritate omnia suscepta fuissent<sup>34)</sup> — non secus atque Symmachus cui sexcenties in epistulis dicitur Honori „invictus, invictissimus princeps“. Num vero, quum aperte etiam belli Getici gloriam Honorio tribuat in ipsius carminis exitu v. 647. et initio (vv. 112. 118 — 120.) tam non sibi constare atque adeo propositum obliisci Claudianum potuisse fingemus, ut belli Getici partem paucis post versibus persequeretur solum Stiliconem laudibus efferens, Honori ne semel quidem recordatus?

Utut est, gravissimas depravationes hoc ipso loco nostrum subiisse ad unum attentes reperiemus. Nam si Claudianus praeter omnem exspectationem et causis ductus miris nobisque incognitis belli Getici exitum seorsim sibi proposuit conscribendum, cur ad finem rem non perduxit? Nam vv. 320 — 323. justam clausulam narrationi non imponere facile appareat: idque eo magis offendimus, quod infra (v. 384. 653.) confectum bellum plus semel ignaro lectore commemoratur. Nec minor difficultas in septem illis versibus qui excipiunt similitudinem continentis latet: quos non intelligere sese professus est Gesnerus superiorum editorum incuriam leviter perstringens. Atque hujus viri sententiae ita accedo, ut non solum qua ratione et necessitudine cum prioribus cohaereant cuiquam apparere posse negem, sed etiam aptam iis omnino in Claudiani poëmatis sedem nusquam investigari quovis pignore spondeam. Quodsi etiam horum vitiorum culpam Claudiano tribueremus, sequeretur, ut in unius carminis parte plus sibi permisisset saepiusque dormitasset quam in reliquis omnibus; quumque hoc ipsum carmen

34) V. Bell. Gildon. v. 205; de IV. Cons. Honor. v. 638 — 640; de Consulatu Stiliconis lib. I. v. 6. 7.

in novissimis nostri operibus debeat poni, non profecisse in arte poëtica, sed paullatim defecisse statueremus necessario.

Jam vero ad aliud transeamus argumentum. Etenim Claudianum carmen de Bello Getico ipsius pugnae Pollentinae narratione conclusisse, hostium fugam et reliqua eventa cum proelio intima necessitudine cohaerentia exponere separatim constituisse nemo unquam mihi persuadebit. Tale enim vitium discerpendae perperam materiae ne pessimum quidem poëtam admissum fuisse puto. Dicat fortasse quispiam, Claudianus, quo prius de Stiliconis patroni gloria mereretur, post ipsam pugnam Pollentinam poëma composuit. Itane vero? Claudianum sic egisse, ut eam pugnam a qua nisi alios fraudando<sup>35)</sup> nullas Stiliconi prope laudes repetere poterat solam enarraret, reliquam belli partem omitteret, quum et gesta esset Stiliconi et sane gloriae duci posset? Sed hanc opinionem duabus praeterea causis allatis certo refellimus. Nam quum hoc ipso carmine belli finiti tempus diserte indicatum esse supra viderimus — praeterquam quod alibi poëta „arma Getarum“ brevissimo tempore ante carmen de VI. Cons. Honor. ineunte a. 404. conscriptum se testatur cecinisse — totius certaminis exitum, dum conscribebat, cognitum habuisse apparet: pariterque haec

— cum laeta periclis

Metior atque illi redeunt in corda tumultus<sup>36)</sup>

composita esse nisi pace confirmata nequeunt. Deinde autem non dubitamus, quin Claudianus illo carmine omnia complecti et ad calcem rem perducere voluerit. Nam poëta, si tamen constituit carmina, non vaticinia condere, hanc primam legem sequatur oportet, ut ne quid obscuri vel dubii residere in lectoris animo patiatur. Sin operis principio rem aliquam tetigit obiter ita, ut lectorem plura audiendi cupidum reddat, postea spem tacendo deludat et datam fidem quasi violet, nonne is in gravissimam reprehensionem jure incurret? Atque hanc ipsam culpam tacite in Claudianum conferunt, quibus carmen de Bello Getico, ut nunc fertur, integrum esse placet. Etenim si verum est, ut in proelio Pollentino desinat, quomodo potuit sine opprobrio tot rerum memoriam strictim injicere quae quum post pugnam acciderint in ipso carmine explicari non jam possunt? Quid est igitur quo referenda sunt haec (vv. 142 — 144.)

Unus in hoc Stilico diversis artibus hoste

Tres potuit superare duces, fregitque furentem

Cunctando, vicitque manu, victumque relegat —?

Vel haec (v. 194. 195.)

Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes

Exegere Getis; tot tandem flumina victor

Vindicat Eridanus —?

Pariterque desperandum est de loci a v. 77. usque ad v. 98. prope totius sententia. Atque harum tenebrarum ut ipsum Claudianum habeam auctorem, nullo modo a me possum impetrare reliquorum carminum et artem et perspicuitatem recordatus. Hos nodos<sup>37)</sup> debebat expedire submissa in

35) Orosius I. l.: „Taceo de infelibus bellis apud Pollentiam gestis, cum barbaro et pagano duci, hoc est Sauli, belli summa commissa est“ —; similiterque Paulus Diac. I. l.: „(Stilico) bellum Sauli duci pagano commisit: qui — super eos (Getas) irruit magnamque eorum partem prostravit.“

36) Bell. Get. 211. 212.

eodem carmine explicatione. Neque vero tam sui poëta est dissimilis, ut desiderata lucem plane deneget: quamquam non ea qua exspectes ratione officium suum praestat. Nam quae illic aut breviter attigit aut obscure innuit ea loco plane alieno, vv. carminis de VI. Cons. Honor. 127 — 323. illustrata et uberior exposita invenimus. Sed ut rem ita se habere persuadeamus, jam recenseamus ordine singula. Etenim haec (Bell. Get. v. 78.)

Adspice, quam rarum referens inglorius agmen  
Italia detrusus eat —

de Alarico post cladem Pollentinam redeunte trans Padum intelligere cogimur hisce (VI. Cons. Honor. v. 156):

Percensere manum, tantaque ex gente juvabit  
Relliquias numerasse breves.

Quamque dissimilis fuerit Alarici fuga ingressui Bell. Get. v. 79. breviter quidem indicat, sed ordine exponitur vv. carm. de VI. Cons. Honor. 127 — 132; 180 sq.; 320 sq. Eadem autem sententia planeredit v. 267:

— et nimium diversi stamine fati  
Praesentes redditus fortunatosque revolvit  
Ingressus.

Alaricum „desertum ab omni gente sua“ fuisse quam fieri potest brevissime Bell. Get. v. 88. docemur; ejusque rei cuius in nostro carm. de Bello Getico nullum praeterea vestigium exstat talem imaginem noster exprimit carm. de VI. Cons. Honor. v. 250 sq. qualem velut praesentes spectare videamur:

Jamque frequens rarum decerpere transfuga robur Cooperat, inque dies numerus decrescere castris; Nec jam seditio paucis occulta parari, Sed cunei totaeque palam discedere turmae. Consequitur, vanoque fremens clamore retentat, Cumque suis jam bella gerit: mox nomina supplex Cum fletu precibusque ciet, veterumque laborum Admonet, et frustra jugulum parcentibus offert: Defixoque malis animo sua membra suasque Cernit abire manus. —	250.
	255.

Sola vox „egestas“ (Bell. Get. v. 94.) quid sibi velit plane celaremur, nisi carm. de VI. Cons. Honor. vv. 238 sq. de summa omnium rerum inopia qua premebatur Alarius inclusus certiores nos facerent; similiterque quo sint haec referenda, quod Getae „veniam leti valuere mereri“ (B. G. v. 90.), quodque „Romae cura“ coegerit Stiliconem (B. G. v. 97. 98.)

Inclusis aperire fugam, ne pejor in arcto  
Saeviret rabies venturae conscientia mortis —

non ex nostro carmine, sed ex eodem carm. de VI. Cons. Honor. loco cognoscimus quem integrum liceat apponere:

Omnibus exclusus coeptis considit in uno Colle tremens: frondesque licet depastus amaras Arboreo figat sonipes in cortice morsus,	240.
---	------

Et tetrica collecta cibis annique vapore  
 Saeviat aucta lues, et miles probra superbus  
 Ingerat obpresso, captivaque pignora monstret:  
 Non tamen aut morbi tabes, aut omne periculum  
 Docta subire fames, aut praedae luctus ademtae  
 Aut pudor, aut dictis movere procacibus irae,  
 Ut male tentato toties se credere campo  
 Cominus auderet.

245.

Denique vv. 194. 195. illustrantur carm. de VI. Cons. Honor. v. 272. 144 — 200. Atque haec exempla protulisse satis habeo.

Jam quid reppererimus fac circumspiciamus et breviter quo melius fiat judicium repetamus. Vidimus inesse in carmine de VI. Cons. Honor. versus circiter ducentos abhorrentes illos quidem non solum a simplicissimis artis legibus totiusque carminis consilio et colore, sed etiam ipsis poetae promissis repugnantes. Deinde animadvertisimus Claudianum in carmine de Bello Getico multa protulisse tam obscure, ut in subsequentibus explicationem necessario sibi depositant: eamque mirati sumus non Bellum Geticum, sed ducentos illos versus continere. Qui versus carmen de Bello Getico ita excipiunt, ut quum hoc desinat in ipso proelio Pollentino, illi a rebus proxime succedentibus (Alarici fugam dico) incipient cum hujus exitu sine ulla intercapidine cohaerentes. Denique quod carminis de Bello Getico proprium esse scimus, ut singula quaeque exponat Stiliconis, ut res ipsa postulabat, semper ratione habita, idem hoc loco factum conspicimus. Hae igitur partes non solum argumenti ordine, sed etiam tenoris et consilii aequabilitate mirum quantum inter se concinunt. Atque ejus rei uni omnium suboluit aliquid Gibbonio haec ubi ipsum bellum enarrat in adnotatione subnectenti<sup>37)</sup> „obscurorem quandam necessitudinem intercedere carminibus de Bello Getico et de VI. Consulatu Honori, quoniam simul Alarici res exponant.“ Neque vero nos in hac sententia qua nihil proficitur persistimus: sed quum ipse Claudianus „bellum Geticum apud Stiliconem se celebasse“<sup>38)</sup> profiteatur, has partes quarum alteram ab altera et lucem accipere et continuari et nisi vi sejungi non posse vidimus non mero casu conspirare, sed unius operis esse persuasum habeo. Cui sententiae consentit etiam a sermone alterius partis initium:

Jam Pollentini tenuatus funere campi — —

Turpe retexit iter ;

quibus non rem novam incipi, sed spectari antecedentia et vocula „jam“ pergi nemo est, quin videat. Ut enim fere apud Latinos, ita maxime nostro „jam“ illud frequens est in continuanda oratione. Quid autem, quum carminis de VI. Cons. Honor. versus in nostris libris praeeuntes excipi nullo pacto intellexerimus, arbitratu cum per se tum causis supra allatis facilis est, quam ipsum quod nunc legitur bellum Geticum continuari? — Quamquam non unius libri finibus utramque particulam inclusam fuisse contenderim: videtur enim oblectari nitidissima illa Belli

37) V. not. e) ad p. 987. ed. German. Lips. 1837.

38) De VI. Cons. Honor. v. 123. 124:

Getici quale nunc exstat conclusio. Hac ratione adducimur, ut versus illos fragmentum alterius libri de Bello Getico putemus cuius extreum interciderit: idque si superesset, minime dubito, quin quo referenda esset comparatio (v. 324 — 330.) certo sciremus. Nam eam ex loco quo nunc invenitur colligo illuc pertinuisse.

Haec autem alieni operis particula quum carmini de VI. Consulatu Honorii falso intruderetur, aut nullos versus aut certe perpaucos nec magni momenti in hoc ipso poëmate submotos esse crediderim: versusque 331. continuo post v. 126. collocato nihil ad sensum quisquam desiderabit. Nam „interea“ nihil obstat quominus eadem explicemus ratione atque carm. de III. Cons. Honor. v. 63. principio occurrit: ubi ad rerum superiore loco tractatarum tempus in universum refertur. Similiter scriptores, quum ad novam rem transeunt, usurpare animadvertisimus haec „dum ea geruntur“. Dicit igitur poëta per tempora belli Gildonici et Getici (v. 122. 123.) cives Romanos videndi principis frustra fuisse cupidos. Quam sententiam in voce „interea“ latere eo confidentius ponimus, quod paullo infra dea Roma inducitur cum Honorio sic expostulans (v. 366. 367.):

Nonne semel sprevisse sat est, cum redditia bellis  
Africa venturi lusit spe principis urbem? —

et v. 384:

Num praesens etiam Getici me laurea belli  
Declinare potest? Sedesne capacior ulla  
Tantae laudis erit?

Quae quum ita sint, alterum carmen de quo disputavimus lacunis deformari non est, quod conjiciatur.

Claudianum medio aevo in magnis fuisse deliciis auctorum testimonia a Casp. Barthio praemissa satis persuadent. Hinc vix fallemur leviorum mendorum magnam partem repetentes. Verum nisi alias depravationes multo graviores concepisset, actum sane de nostro esset optime. Mutila pervenisse ad nos temporum injuria carmina de Laude Serenae et de Raptu Proserpinæ libro tertio et de Bello Gildonico omnes editores pro certo habent. Simile mendum videtur Hauptii auctor libelli de generibus nominum indicare locum ex Claudiano afferens qui nusquam exstat: quamquam non magnopere istum moramur fide etiam in aliis suspecta<sup>39)</sup>). Quo magis Claudiani condicionem aperiunt codices magnam partem manci<sup>40)</sup> et de ordine et loco carminum incredibiliter dissentientes. Haec secum reputans vix quisquam mirabitur, quod tantum vitium quantum videmur retexisse poëtam obsidere potuit. Veri autem quum simplex sit natura et origo, multiplex erroris et viti<sup>i</sup>, possunt multae obtinuisse causae quibus illa transmutatio effecta est. Tamen non alienum fuerit maxime probabilem scrutari. Ac primam inde duco, quod carmina de Bello Getico et de VI. Consulatu Honorii tali vicinitatis jure continentur, ut in libris plerisque omnibus alterum aut subsequatur aut praecedat proxime. Et poterant eo facilius disturbari et

39) P. 96, 15 Rus generis neutri, ut Claudianus „rus istud pretio constat vili.“

40) Operae pretium fuerit Heinsii verba afferre ex prioris editionis prooemio: „Caeterum in tanta scriptorum codicum copia (viginti enim et octo fere ad manum fuerunt, ut vides) pauci omnino reperiti, qui Claudiani omnia exhiberent, nulli magnopere a vetustate commendandi, quive quingentorum annorum aetatem aut attingerent aut excederent.“

confundi, quod et argumentum repetunt ex temporibus non multum inter se distantibus, et carmen de VI. Cons. Honor. aut brevius aut uberior ad belli Getici res alludit. Sed haec missa facimus et in medio relinquimus, dummodo lectori reliqua probavisse videamur.

An vero mirabimur, quod carminis cuius partes tam male luxatae sunt ne de inscriptione quidem satis constat? Nam libri eo potissimum nomine differunt, quod aut „de Bello Pollentino“ sive „Pollentiaco“ aut „de Bello Gothicō“ s. „Getico“ carmini praefigunt. Atque illius ordinis dux est Vaticanus optimus; alter titulus cum aliis tum Lucensis codicis auctoritate commendatur. Huic libro quamvis primas Heinsius tribuere non dubitet<sup>41)</sup>, tamen de inscriptione diffisus est<sup>42)</sup>; sed nos quo duce saepius cum commodo nostro usi sumus eum etiam hoc loco sequamur via et ratio poscit. Neque vero inscribemus „De Bello Gothicō“, sed Claudiani consuetudinem recordati „De Bello Getico“; cumque verum et genuinum titulum habemus. Hunc quo jure Claudiano usurpare licuerit expediant velim quibus carmen proelii Pollentini descriptione finiri neque quidquam ultra desiderari certum obstinatumque est.

Hac opportunitate oblata facere non possum, quin de iis libris quibus poëta Stiliconem celebrandum sibi sumpsit breviter disseram. Nam quum non solum de inscriptione, sed etiam de distributione horum carminum in diversas partes editores abeant, videndum est, ut dubitationes tollamus et rem perducamus ad certum finem. Nam Heinsius et Burmannus libros duos priores ad primum, tertium ad alterum Stiliconis consulatum referri volunt Delrium, si quid video, non recte secuti. Nam Praefationis ad lib. III. vv. 23. 24.

Te mihi post quinos annorum, Roma, recursus

Reddidit, et votis jussit adesse suis —

non ad Stiliconem pertinere, sed ad Claudianum, neque eos tempus inter utrumque consulatum Stiliconis interpositum denotare, sed per quod ipse poëta ab urbe Roma afuit, vix quemquam puto inficias iturum. Neque huic sententiae ab ipso carmine ullum accedit praesidium: nihil enim continet quod ad a. 405. apte possit trahi, alia quae persuasum habeo poëtam silentio non pressurum fuisse plane reticet. Id genus unum induco exemplum. Num poëtam omnes Stiliconis laudes adumbrantem obliturum fuisse censemus bellum Geticum nuper confectum, cujus gloria reliquias res ab illo gestas superaret facile omnes? — Imo vero quum hoc libro Stiliconis consulis adventus in urbem Romam ludique ibi editi describantur, carmine autem priore dea Roma inducatur a Stilicone flagitans, ut Romam venire consul ne dedignet<sup>43)</sup>, hoc ipso loco tertium librum tanquam praeparavisse et indixisse putandus est; neque is ad alium consulatum quam ad priorem non secus atque liber II.<sup>44)</sup> pertinet. Stiliconem autem non multo post initum consulatum primum (init autem lib. III. vv. 224. 225. testibus Mediolani ibique ludos

41) Heinsius in alterius editionis prooemio: „Sed evoluto eodem codice (Vaticano optimo), ante annos sexcentos, quantum apparebat, exarato omniumque, quotquot ad manum fuere nobis, praestantissimo ac veterissimo „si Lucensis ille Gyraldinus excipitur“ —.

42) In eodem prooemio simulatque in codice Vaticano carminis de Bello Getico solam inscriptionem extare memoravit manu vetusta ita exaratam: „INCIPIT DE BELLO POLLENTINO“ ita pergit: „quam genuinam et ab ipso Claudiano profectam esse non dubitamus.“

43) Hanc rem, si opus argumento esset, probarent vv. 244. 245; 279 — 283.

44) II, 386 sq.

consulares apparavit) Romam accessisse ut ab ipso Claudiano certo docemur,<sup>45)</sup> ita Symmachum indicare pro certo habeo lib. IV. Epist. 31. ubi haec exhibet Parei quae in manibus est editio: „Mediolanum te idem qui me consul acciverat. Speravi quod nos in unum votiva causa conduceret. Sed ubi per valetudinem defuisti, aegerrime exspectati gaudii dispendium tuli. Nunc peractis supra omnium magnanimitatem consularibus festis Romam revertor, quo se amplissimus magistratus venturum protinus genere (l. genero) adstipulante promisit.“ Carminibus igitur illis tribus quum intimam necessitudinem intercedere idemque esse consilium intellexerimus, de communi inscriptione non diu ambigemus. Nam in Bell. Get. Praefatione v. 5. profitetur poëta se „consulis fasces cecinisse“, Stiliconis nempe, ut ex insequentibus elicitor: unde titulum illorum librorum fuisse „De Consulatu Stiliconis“ affirmamus. Ceterum hunc non magis ratio commendat quam codicum fides; quippe quem exhibeant Lucensis et Petavianus alter, liber vetustate spectabilis; Vossianus autem quem praeter Lucensem ex Heinsii libris longe antiquissimum optimumque fuisse diximus eo certe nomine nobiscum facit, quod librum III. a prioribus non disjungit sic inscribens: „liber tertius de Laudibus Stiliconis“. Quac quum ita sint, vituperamus Gesnerum, quoniam diversas inscriptiones his carminibus praeposituit. Nam quum poëta n. praedicando consulatu ita versetur, ut profectus ab initio longinquiore uberior Stiliconem et bellica gloria et virtutibus pace probatis et moribus consulatus honores meruisse libris duobus ostendat, tertio denique legentibus proponat ipsum consulem, non debebat Gesnerus priores libros peculiari titulo insignire et segregare a tertio.

Quid autem faciemus Barthio? Is enim reputans carmen de Bello Getico item Stiliconis praeconium continere quatuor libros de Laudibus Stiliconis concessit tutoribus usus Aldo et Camerte et aliis. Qui si obtemperaverunt codicibus, sicut factum puto, non sine quadam veri specie egerunt: Barthium autem non debebat fugere aliam esse prosequendi Stiliconis rationem in illis libris, aliam in hoc. Illic enim Stiliconis laudes principale argumentum efficiunt; contra hic bellum Geticum persequitur poëta, quo in negotio Stiliconis nomen omittere et reticere ipsa res vetabat. Simillima autem hujus carminis est condicio atque libri de Bello Gildonico: qui quum permultis locis Stiliconi honorem tribuat, pro quinto libro carminis de Laudibus Stiliconis Barthio erat habendus, si tamen constare sibi volebat. Sed haec quidem hactenus.

---

45) De VI. Cons. Honor. v. 431 — 435.



# Schulnachrichten.

---

## I.

### Lehrverfassung des Gymnasiums.

#### Prima.

Ordinarius: Der Director. Cursus zweijährig.

Religion. 2 St. Erklärung des Briefes an die Römer nach dem Grundtext im S.; Ueberblick über die christliche Lehre im W. Der Director.

Latein. 8 St. Cic. de officiis I. u. III. u. Tacit. Agric. nach der Ausgabe von Wex. 3 St. Privatim wurden mehrere Bücher aus Liv. u. de off. II. gelesen und von mehreren Schülern darauf bezügliche Privatarbeiten angefertigt. Horat. Carm. III., 6 — 30. IV. Ausgewählte Epopden und Satiren aus dem I. Buch. 2 St. Exercitien nach Seyfferts Palaestra und Extemporalien wöchentlich abwechselnd. Correctur der freien Arbeiten. 3 St. Die Themata zu den letzteren waren: 1) Oedipi exitus qualis a Sophocle describatur. 2) De Ajacis Telamonii vita ac moribus agatur. 3) Romanorum in bellis movendis non semper fuisse summam observationem. 4) De tertio bello Punico (Classenarbeit). 5) De Catonis Uticensis morte num recte Cicero judicaverit. 6) Quam fortitudinis notionem Cicero proposuerit. 7) Quae-ratur, num Achilles vere magnanimus dici possit. 8) De Horatii carminum libro quarto ita agatur, ut aut carminum cohaerentia explicetur aut temporum rationes eorumque ad quos scripta sint vitae enarrantur. 9) Utilitatis specie saepissime peccari (Cl. A.) 10) De Agesilao narratio. Hostes virtutis gloriaeque perpetuam esse materiem 11) Res Britanniae antiquissimae exponantur. 12) Fuge magna. 13) Quibus rebus Caesaris res gestae insigne fuerint? (Cl. A.) Ausserdem wurden auch metrische Aufgaben bearbeitet. Die Abiturienten schrieben zu Michaelis v. J. über das Thema: Fabium cunctando, Scipionem agendo rem Romanam servasse. Zu Ostern d. J.: Rectissime Tacitus (Hist. II, 38) nunquam apud Romanos nisi de principatu quaesitum esse affirmat. — Der Director.

Griechisch. 6 St. Soph. Ajax u. Philoctet. Hom. Il. XXII — XXIV. XI. XII. Die übrigen Bücher privatim. 3 St. Der Director.

Isoср. Paneg. und Plat. Phaedon mit Auswahl. Exercitien (14tägig), Extemporalien und mündliches Uebersetzen aus Mehlhorns Aufgaben zur Einübung der Syntax. 3 St. Prorector Dr. Petermann.

Hebräisch. 2 St. Josua 1 — 8 und Ps. 16 — 32; privatim Gen. 18, 22 — 33, 22, 1 — 19; 37 — 41, 42 — 46. Syntax nach Gesenius u. schriftliche Arbeiten. Gymn.-Lehrer Beissert.

**Deutsch.** 3 St. Litteraturgeschichte bis zur zweiten schlesischen Schule nebst Mittheilung von Proben. Uebungen im freien Vortrage, zu denen der Stoff aus der Geschichte und aus der deutschen Lectüre bestimmt wurde. Aufsätze wurden über folgende Themata geliefert: 1) Der Edle lebt auch nach dem Tode fort und ist so wirksam, als er lebte. 2) Welche Folgen hat der Sieg über die Perser bei Salamis gehabt? 3) In welchem Zusammenhange stand die Grösse und Bedeutung Griechenlands mit der Lage und Beschaffenheit des Landes? 4) Kann man von dem Aeussern eines Menschen auf sein Inneres schliessen? (Cl. A.). 5) Soll es reichlich zu dir fliessen, Reichlich andre lass geniessen. 6) Angabe des Inhalts des Panegyrikus von Isoer. in Form einer Disposition. 7) Wodurch gelang den Griechen die Besiegung der Perser? 8) Poetischer Versuch. 9) Worin bestehen die Früchte eines thätigen Lebens? (Cl. A.) 10) Des Lebens Müh lässt uns allein des Lebens Güter schätzen. 11) Welche Bedeutung hat die Hoffnung und die Erinnerung für die Menschen. 12) Woher kommt es, dass berühmte Männer in der Regel für die Nachwelt eine grössere Bedeutung gehabt haben als für ihre Zeitgenossen? 13) Der sterbende Socrates, mit besonderer Berücksichtigung der aus Plato's Phädon gelesenen Abschnitte. Die Abiturienten schrieben zu Mich. v. J. über das Thema: Wie fruchtbar ist der kleinste Kreis, wenn man ihn wohl zu pflegen weiss. Zu Ostern d. J.: Es soll durch einige der alten Geschichte entnommene Beispiele dargethan werden, welchen Einfluss in gefahrvollen Zeiten bisweilen der Einzelne auf das Ganze ausgeübt hat. Prorektor Dr. Petermann.

**Französisch.** 2 St. Aus Menzels Handbuch die Abschnitte. Ancillon, Lacretelle, Bonaparte, Chateaubriand. Der Geizige von Molière. Exercitien, Extemporalien und mündliches Uebersetzen aus Klopsch' Anleitung zur Einübung der Syntax. Dr. Munk.

**Mathematik.** 4 St. Im S. Trigonometrie und Wiederholungen aus der Planimetrie; im W. Reihen, Combinationen, binomischer Lehrsatz und einzelne Abschnitte aus der Stereometrie, nach Kambly. Oberlehrer Dr. Rühle.

**Physik.** 2 St. Im S. Magnetismus u. Elektricität; im W. Elemente der kosmischen Physik (mathematische und physikalische Geographie). Oberlehrer Dr. Rühle.

**Geschichte und Geographie.** 3 St. Die Geschichte des Mittelalters nach Schmidt mit Berücksichtigung der geographischen Verhältnisse Europas. Repetition der alten Geschichte. Pror. Dr. Petermann.

## Secunda.

Ordinarius: Prorektor Dr. Petermann. Cursus zweijährig.

**Religion.** 2 St. Geschichte des Reiches Gottes im alten Bunde. Wiederholung früher gelernter Kirchenlieder. Der Director.

**Latin.** 10 St. Liv. II. u. Cic. Cato major. Einzelne Abschnitte wurden memorirt. Privatim Liv. VII. — X. 4 St. Wöchentliche Exercitien nach Süpfle; Extemporalien und mündliches Uebersetzen aus Süpfle zur Einübung der Syntax. Metrik verbunden mit schriftlichen Uebungen. 4 St. Pror. Dr. Petermann. Virg. Aen. I. II. Memorirt wurden 200 Verse aus dem I. Buch. 2 St. Gymn.-Lehrer Beissert.

**Griechisch.** 6 St. Xenoph. Mem. I. II, 1. — Hom. Odyss. I — X, zum Theil privatim.

I, 1 — 207. IV, 1 — 215 memorirt. — Repetition einzelner Abschnitte aus der Normenlehre; aus der Syntax von den Modis u. dem Infinitiv nach Buttmann. Exercitien (14tägig) und Extemporalien. Gymn.-Lehrer Dr. Paul.

**Hebräisch.** 2 St. Elemente bis zu den Verb. irreg. incl. nach Gesenius. Schriftliche Uebungen. Gelesen und erklärt wurde Gen. 11 — 13. G. L. Beissert.

**Deutsch.** 2 St. Elemente der Poetik; Unterscheidung der Dichtungsgattungen in Verbindung mit Mittheilungen über ausgezeichnete Dichter und ihre Werke. Uebungen im mündlichen Vortrag. Aufsätze wurden über folgende Themata geliefert: 1) Aus Kleinem Grosses. 2) Die Macht der Gewohnheit. 3) Der Einfluss des Luxus. 4) Das eleusische Fest von Schiller. 5) Die Elemente hassen das Gebild der Meuschenhand. 6) Ein Spaziergang im Herbst. 7) Der Prolog zu Wallensteins Lager. 8) Vergleichung der Charaktere des ersten Jägers und des ersten Cuirassiers in Wallensteins Lager. 9) Charakteristik des Octavio Piccolomini. 10) Wer am Wege baut, hat viele Meister. 11) Zufriedenheit verwandelt Wasser in Wein. 12) Aufschub ist ein Dieb der Zeit. — Oberlehrer Dr. Rühle.

**Französisch.** 2 St. Aus Menzels Handbuch die Abschnitte von Ancillon, Chateaubriand, Lamartine, Ségur u. A. Syntax nach Knebel. Exercitien nach Höchsten (14tägig) und Extemporalien. Gymn.-Lehrer Scholtz.

**Mathematik.** 4 St. Arithmetik: Von den Potenzen, Wurzeln und Logarithmen; einfache Gleichungen des 1. und 2. Grades. Geometrie: Wiederholung der früheren Abschnitte, die Proportionalität der Linien und Ähnlichkeit der Figuren, Berechnung regulärer Vielecke und des Kreises. Elemente der Trigonometrie; nach Kambly. Oberlehrer Dr. Rühle.

**Physik.** 1 St. Die allgemeinen Eigenschaften, Gleichgewichts- u. Bewegungs-Erscheinungen der festen, flüssigen und luftformigen Körper. Derselbe.

**Geschichte und Geographie.** 3 St. Griechische Geschichte mit Berücksichtigung der geographischen Verhältnisse von Griechenland und Vorderasien. Repetition der wichtigsten Abschnitte aus der deutschen Geschichte nach Schmidt. Pror. Dr. Petermann.

## **Ober - Tertia.**

Ordinarius: Oberlehrer Stridde. Cursus jährig.

**Religion.** 2 St. Im S. das zweite Hauptstück des Katechismus nebst kurzer Erläuterung der übrigen und Memoriren von Sprüchen. Im W. die Geschichte der Reformation und die Scheidelehrten. 6 Kirchenlieder wurden gelernt. Oberlehrer Stridde.

**Latein.** 10 St. Caes. b. g. IV. V. (cursor. III. und VI.) b. civ. I. u. II. 4 St. Ovid. Metam. II. — V. mit Auswahl. II, 1 — 150. III, 1 — 137; 511 — 599 memorirt. Repetition der Prosodie und metrische Uebungen. 3 St. Die Lehre vom Verbum nach Zumpt; Wiederholung der ganzen Syntax. Wöchentliche Exercitien und mündliches Uebersetzen nach Kunhardt; Extemporalien. 3 St. G. L. Dr. Paul.

**Griechisch.** 6 St. Xenoph. Anab. I — III. 4 St. Die unregelmässigen Verba nach Buttmann. Exercitien (14tägig) nach Rost und Wüstemann und Extemporalien zur Einubung. 2 St. O. L. Stridde.

**Deutsch.** 2 St. Erklärung ausgewählter Gedichte, besonders von Balladen und Romanzen.

Uebungen in kurzen Vorträgen u. Declamationen. Alle drei Wochen ein Aufsatz. Derselbe.

**Französisch.** 2 St. Im S. Lectüre aus Ahn II. Curs., im W. Histoire de Charlemagne p.

Capefigne chap. I — IV. Die unregelmässigen Verba, die Lehre vom Artikel, den Adjektiven und Pronomen nach Knebel. Exercitien (14tägig) nach Höchsten und Extemporalien.

G. L. Scholtz.

**Mathematik.** 3 St. Die Rechnung mit algebraischen Zahlen, einfache Potenzenrechnungen, Wurzelausziehungen und Reductionen. Wiederholung der Congruenz; vom Kreise, Vergleichung und Bestimmung des Flächeninhalts gradliniger Figuren; nach Kambly. Oberlehrer Dr. Rühle.

**Naturbeschreibung.** 2 St. Allgemeine Uebersicht der Naturreiche. Derselbe.

**Geschichte und Geographie.** 3 St. Die deutsche Geschichte und Wiederholung der brandenburgisch-preussischen nach Grashof, mit steter Berücksichtigung der geographischen Verhältnisse. G. L. Scholtz.

## Unter - Tertia.

**Ordinarius: Der Director. Cursus jährig.**

**Religion.** 2 St. Das zweite Hauptstück des Katechismus. Memoriren von Sprüchen und 6 Kirchenliedern. **Der Director.**

**Latein.** 10 St. Caes. b. g. I — IV; im W. wurden die Vocabeln memorirt. 4 St. Aus der Syntax die Casuslehre nach Zumpt. Wöchentliche Exercitien und Extemporalien zur Einübung. Die prosodischen Regeln und metrische Uebungen. 4 St. O. L. Stridde. Siebelis tiroc., poët. lib. III. §. 1 — 21 wurde gelesen und erklärt, mehreres memorirt. Curso-risch lib. II. 2 St. G. L. Beissert.

**Griechisch.** 6 St. Aus dem Lesebuch von Schmidt u. Wensch II Cursus. B. u. C. § 1 — § 5 (S. 85 — 139) wurde übersetzt und erklärt, im W. die Vocabeln memorirt. Wiederholung der Formenlehre und die Verba auf μι nach Buttmann. Exercitien aus Rost und Wüstemanns Anleitung und Extemporalien. G. L. Lucas.

**Deutsch.** 2 St. Erklärung einzelner Gedichte von Goethe, Schiller, Uhland u. Declamationen. Alle 3 Wochen ein Aufsatz. Dr. Munk.

**Französisch.** 3 St. Das Pronomen, das Verbum, die Lehre vom Gebrauch des Artikels nach Knebel § 35 — 74. Memoriren von Vocabeln und Uebersetzen aus Ahn II. Curs. Alle 14 Tage ein Exercitium aus Höchsten. Derselbe.

**Mathematik.** 3 St. Von den Linien, Winkeln, Dreiecken, Parallelogrammen, vom Kreise u. Flächeninhalt gradliniger Figuren bis zum pythag. Lehrsatz. Rechnung mit algebraischen Zahlen — nach Kambly. Derselbe.

**Geschichte und Geographie.** 4 St. Deutsche Geschichte bis zur Reformation nach Grashof. Die deutschen Bundesstaaten nach v. Seydlitz. Derselbe.

## Quarta.

Ordinarius: Gymnasial-Lehrer Beissert. Cursus jährig.

**Religion.** 2 St. Das erste Hauptstück des Katechismus und Bibelkunde des A. T. Einzelne Capitel wurden erklärt, Sprüche, 4 Psalmen und 6 Kirchenlieder memorirt. G. L. Beissert.  
**Latein.** 10 St. Jacobs und Döring's Lesebuch die Abschnitte A — E, §. 15. die Vocabeln wurden memorirt. 4 St. Memoriren der loci memor. Wiederholung der Formenlehre und das Wichtigste aus der Syntax nach O. Schulz. 4 St. Wöchentliche Exercitien aus dem 2. Cursus der Aufgaben von O. Schulz; monatlich ein Extemporale. 2 St. G. L. Beissert.  
**Griechisch.** 6 St. Formenlehre bis zu den Verb. contr. incl. nach Buttmann. Aus Schmidt und Wensch Elementarbuch wurde übersetzt S. 3—44 mit Auswahl und im W. die Vocabeln memorirt. Im W. schriftliche und mündliche Uebungen aus dem 1. Cursus von Rost und Wüstemann's Anleitung. G. L. Lucas.

**Deutsch.** 2 St. Uebungen im Lesen und Nacherzählen, so wie im Declamiren. Alle 14 Tage ein Aufsatz. G. L. Beissert.

**Französisch.** 2 St. Grammatik nach Knebel: Formenlehre. Schriftliche, mündliche und Gedächtniss-Uebungen nach Ahn, I. Cursus. G. L. Scholtz.

**Mathematik.** 3 St. Die vier Species mit Brüchen und Decimalbrüchen und die höhern bürgerlichen Rechnungsarten. Die Elemente der Planimetrie nach Kambly. Im S. G. H. L. Frass, im W. G. L. Scholtz.

**Geschichte und Geographie.** 3 St. Das Wichtigste aus der schlesischen und brandenburgisch-preussischen Geschichte nach Löschke. Geographie von Deutschland nach v. Seydlitz. G. L. Scholtz.

## Quinta.

Ordinarius: Gymnasial-Lehrer Lucas. Cursus jährig.

**Religion.** 3 St. Die biblische Geschichte des A. T. nach dem Calwer Lehrbuch. Der Katechismus, Sprüche u. 4 Kirchenlieder nach der Ordnung des Kirchenjahres wurden memorirt, früher gelernte repetirt. G. L. Dr. Paul.

**Latein.** 10 St. Jacobs und Döring's Lesebuch Abschnitt 2 und 3, 1 — 16; im W. Memoriiren der Vocabeln. 5 St. Memoriren der loci memoriales; wöchentliche Exercitien aus den Aufgaben von O. Schulz; monatlich ein Extemporale. 3 St. G. L. Lucas. Wiederholung der regelmässigen und Einübung der unregelmässigen Formenlehre. 2 St. Der Director.

**Deutsch.** 3 St. Uebungen im Lesen, womit die Einübung der Formenlehre und des Satzbaues verbunden wurde, und im Declamiren nach dem Lesebuch von Auras und Gnerlich, im S. I., im W. II. Stufe. Alle 14 Tage ein Aufsatz oder eine orthographische Uebung. G. L. Lucas.

**Französisch.** 3 St. Einübung der Elemente, schriftlich und mündlich nach Ahn. 1. Cursus. G. L. Dr. Paul.

**Rechnen.** 3 St. Die vier Species mit Brüchen; einfache und zusammengesetzte Regel de Tri und der Kettensatz. Uebungen im Kopfrechnen. G. H. L. Frass.

Naturbeschreibung. 2 St. Im S. die Pflanzen von Deutschland in allgemeiner Beschreibung, besonders die von Schlesien; im W. das Thierreich in allgemeinen Beschreibungen, nach Schilling. Im S. G. H. L. Frass, im W. G. L. Scholtz.

Geographie. 2 St. Europa nach v. Seydlitz. G. L. Dr. Paul.

Kalligraphie. 3 St. Nach Vorschriften. Im S. G. L. Scholtz, im W. G. H. L. Frass.

### Sexta.

Ordinarius: Gymnasial-Hülfsslehrer Frass. Cursus jährig.

Religion. 3 St. Biblische Geschichte des A. T. nach dem Calwer Lehrbuch. Memoriren von Sprüchen und 6 Kirchenliedern. O. L. Dr. Rühle.

latein. 10 St. Die Formenlehre nach O. Schulz bis zum regelmässigen Verbum incl. Schriftliche Uebungen. Jacobs und Döring's Lesebuch Thl. I. die Uebungen in einzelnen Sätzen übersetzt, erklärt und memorirt. G. H. L. Frass. Im W. Candidat Horn.

Deutsch. 2 St. Uebungen im Lesen, Rechtschreiben, Declamiren und Nacherzählen nach Auras u. Gnerlich's Lesebuch, I. Stufe. Wöchentlich eine schriftliche Arbeit. G. H. L. Frass.

Rechnen. 4 St. Die vier Species mit Brüchen und die einfache Regel de tri. Uebungen im Kopfrechnen. G. H. L. Frass.

Naturbeschreibung. 2 St. Beschreibung und Unterscheidung einzelner Pflanzen nach der Natur und einzelner lebender Thiere in systematischer Reihenfolge. O. L. Dr. Rühle.

Geographie. 2 St. Die Elemente, eingeubt an Globus und Karte mit erläuternden Schilderungen und Erzählungen. G. L. Scholtz.

Kalligraphie. 3 St. Mit Quinta combinirt.

Der Unterricht im Zeichnen ward vom G. L. Scholtz ertheilt. In 2 St. zeichneten freiwillige Theilnehmer aus den drei oberen Classen; eben so hatte Quarta 2 St. und Quinta und Sexta 2 St. Benutzt wurden die Vorlegeblätter von Winkelmann und Hermes; geübt wurde auch das Zeichnen mit schwarzer Kreide und der Feder und das Aquarellmalen. Die beiden letzten Stunden gab im W. der G. H. L. Frass.

Im Gesange unterrichtete der Oberlehrer Stridde 5 St. und zwar Tertia 1 St., Quarta 1 St., Quinta und Sexta 2 St. Hier wurden die Elemente der Musik geübt, Treffübungen angestellt, ein- und mehrstimmige Lieder und Choräle gesungen. Der aus den Sängern der vier oberen Classen gebildete Chor übte in 1 St. Chöre von Klein, Fischer, Hiller, Löwe u. a. und kürzere und längere Tonsätze von älteren und neueren Componisten für den Wochenschluss.

Turnunterricht ertheilte der Turnlehrer Haase. Im Sommer turnten alle Classen zweimal wöchentlich je 2 Stunden, gewöhnlich im Beisein des Directors und des Oberlehrers Dr. Rühle. Die Winter-Turnübungen fanden im Turnsaal statt, wöchentlich 4 Stunden; doch konnten die Schuler an denselben nur abtheilungsweise Theil nehmen.

Der Gottesdienst in der evangelischen Pfarrkirche zum Schifflein Christi wurde regelmässig von den Schülern der vier ersten Classen unter Aufsicht des Directors und eines Lehrers besucht. Die nicht confirmirten Schüler nahmen an der im Sommer vom Superintendenten Dr. Köhler alle drei Wochen gehaltenen Kinderlehre Theil. Im Winter wurden im Saale der Anstalt zwei liturgische Gottesdienste gehalten, bei welchen der O. L. Stridde, dem ich für seine mit Bereitwilligkeit übernommene grosse Mühwaltung dabei hiermit meinen besondern Dank wiederhole, den Gesang leitete. Die Morgenandachten beim Beginn der Wochen wurden wie bisher von den Lehrern abwechselnd gehalten; an den gemeinsamen Gesang schloss sich die Vorlesung des Wochenspruches und einer biblischen Lection und ein kurzes Gebet. Die Schlussandachten am Sonnabend, welche der Director leitete, behielten ihre frühere Einrichtung.

